

2  
372

DE MAXIMIS CHRISTI  
BENEFICIIS PIA GRA-  
TIARVM ACTIO,

*Ex utroque Testamento compendiose collecta, pijs  
& Catholicis Christianis dedicata:*

D. VINCENTIO MONACHO CAENOBII  
SANCTI SEVERINI CASINENSIS CON-  
gregationis autore.



NEAPOLI,

Apud Iosephum Cachium.

M D LXVIII.





And loquens crucifixus  
M. D. LXXVII



**P**ROSPER Vitalianus Protonot. Aposto. &  
in Archiepiscopatu Neap. Vicarius gen. &c.  
Opusculum Reuerendi D. Vincentij Monachi Casinē  
sis à Ioanne Francisco Lombardo Theologo acerrate  
perlectum, & tanquam deuotum commendatum auto-  
ritate nostra approbamus. Nec solum ei, ut alijs  
impertiri ualeat, sed & imprimendi (si opus sit) li-  
centiam in Domino concedimus. In quorum fidem etc.  
Datum Neap. ex Archiep. palatio die XXXI.  
Maij. M. D. LXVIII.

Prosp. Vitalianus Vic. gen. Neap.

Io. Franciscus Lombardus.

Licentia Capituli generalis in monasterio sancti

Benedicti de Mantua celebrati anno

M. D. LXVIII.

**N**OS Donnus Angelus de castro sangri Prae-  
sicens congregationis Casinensis, ceteriq;  
Diffinitores Capituli generalis Tractatum  
hunc de Beneficijs Christi, à D. Vincentio monacho  
nostro compilatum approbamus, illumq; tanq; opus  
frugi & catholicum imprimi concedimus & manda-  
mus.

D. Hieronymus de Castrogufredi scriba  
capituli generalis.



In hoc libello hæc continentur.

Creatio ,	Institutio Sacramen-
Incarnatio ,	torum ,
Visitatio ,	Sessio super asinam ,
Natiuitas ,	Coena cum discipulis ,
Circuncisio ,	Trina oratio ,
De nomine Iesu ,	Agonia ,
Epiphania ,	Sudor sanguineus ,
Præsentatio ,	Excessus in Hierusalē ,
Fuga in Aegyptum ,	Vulnera ,
Regressus ex Aegypto ,	Sanguis ,
Sessio in Templo ,	Mors ,
Reuersio in patriam ,	Sepulcrum ,
De decē & octo annis ,	Resurrectio ,
Baptismus ,	Ascensio ,
Ieiunium ,	Missio Spiritus sancti ,
Trina tentatio ,	Sacramentum Pœni-
Ministerium Angelo-	tentiæ ,
rum ,	Gubernatio Ecclesiæ ,
Vocatio Apostolorum ,	Liber signatus ,
Mutatio aquæ in ui-	Iudicium in nouissi-
num ,	mo die ,
Peregrinatio & labo-	Lux inaccessibilis ,
res ,	Peroratio .



3  
**PRO MAXIMIS CHRISTI  
 BENEFICIIS PIA GRA  
 TIARVM ACTIO.**

*Cum sim puluis & cinis, loquar ad Domi-  
 num meum.*

Gen. 18. d



**RATIAS** tibi ago, &  
 benedicens adoro te  
 o Mediator Dei & ho-  
 minum Christe Iesu  
 dulcissime, Deus &  
 homo : pro totius

1. Tim. 2. b

mundi, & creaturarum omnium crea-  
 tione: qui sine tui initio uisibilia cun-  
 cta & inuisibilia ex nihilo, & absq; la-  
 bore creasti. Tunc uniuersas creatu-  
 ras uocasti Deus noster, & lætatae sūt,  
 atq; dixerunt. Ecce adsumus. Tunc  
 o Sapientia, quæ ex ore altissimi pro-  
 diisti, attingens à fine usq; ad finem  
 fortiter, cuncta suauiter disposuisti:  
 iuxtà illud. Verbo Domini cæli fir-  
 mati sunt, & spiritu oris eius omnis

Bar. 3. d

Eccl. 24. a

Sap. 8. a

Psal. 32.



*Psal.* 145. uirtus eorum. & illud. Ipse dixit, &  
facta sunt: ipse mandauit, & creata  
sunt. Dicere enim Dei est generare  
Verbum: per quod Pater omnia con-  
didit: sicut scriptum est. In principio  
erat uerbum, & uerbum erat apud  
Deum; & Deus erat uerbum: hoc  
erat in principio apud Deum: omnia  
per ipsum facta sunt. & iterum. In  
principio creauit Deus cælum & ter-  
ram. & rursum alia scriptura dicit.  
*Psal.* 103. Omnia in Sapientia fecisti. In prin-  
cipio & in Sapientia Deus omnia  
creasse dicitur: hoc est in filio, qui  
principium uocatur. unde ait. Ego  
sum principium & finis. & in Sapien-  
tia, de qua ipsa testificatur. Ego  
Sapientia ex ore altissimi prodii,  
primogenita ante omnem creatu-  
ram.

**I**TEM gratias æternas tibi persolu-  
uo Deus noster pro incarnatione  
tua sanctissima ex uirgine: qua



incarnatione tota diuina Scriptura re-  
ferta est: unde per Sapientem dicitur.  
Tria sunt difficilia mihi, & quartum  
penitus ignoro: Via uiri in adolescen-  
tula, hoc est incarnatio Christi ex  
Virgine. hinc etiam Esaias ait. Ge-  
nerationem eius quis enarrabit? &  
iterum apertius. Ecce Virgo concipiet,  
& pariet filium, & uocabitur  
nomen eius Emmanuel. In Hiere-  
mia quoque legitur. Nouum crea-  
uit Dominus super terram: foemina  
circundabit uirum. Ceterum hoc  
incarnationis arcanum omnia Euan-  
gelia protestantur. unde illud. Cum  
esset desponsata mater Iesu Maria  
Ioseph, inuenta est in utero habens  
de Spiritu sancto. ubi mox sequi-  
tur. Ecce Angelus Domini appa-  
ruit in somnis Ioseph, dicens. Ioseph  
fili David, noli timere accipere Ma-  
riam coniugem tuam: quod enim in  
ea natum est, de Spiritu sancto est.

Pro. 30.0

Esa. 53.0

Esa. 7.0

lxx. 7.

Hier. 31.0

Mat. 1.0



Luc. 1. c

Nem in Lucæ Euangelio scribitur, dicente Angelo ad Virginem. Ecce concipies in utero, & paries filium. & paulo post. Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei. Diuus quoque Ioannes, aquila illa grandis & sublimis inquit. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Tunc (ut tota testatur Ecclesia) innouatæ sunt naturæ: Deus homo factus est: id quod fuit per mansit, & quod non erat assumpsit, non commistionem passus, neque diuisionem. Tunc temetipsum exinanisti Deus noster. Tunc forma Dei formam serui accepit. O admirabile cōmercium: Deus descendit in hominem, & homo transfuit in Deum. ò alta profunditas? quis inueniet eam? Insuper hoc incarnationis sacramentum apud Apostolum, mysterium temporibus æternis tacitum, & Sacramētum à seculis

Ioan. 1. b

Phi. 2. a

Eccl. 7. d

Rom. 16. d

Eph. 3. b



& generationibus absconditum dicitur . à Deo solo excogitatum , & soli Deo cognitum : nunc autem cunctis gentibus , ac toti mundo per scripturas Prophetarum , & prædicationem apostolorum patefactū . De quo idem Apostolus ait . Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum , quod manifestatum est in carne : iustificatum est in spiritu : apparuit Angelis : prædicatum est gentibus : creditum est in mundo : assumptum est in gloria

Colo. 1. d

1. Tim. 3. d

**P**Rætereà gratias tibi ago Domine Deus noster pro genitricis tuæ visitatione ad Elisabeth prophetissam cognatam eius : quando præcurso-  
 forem tuum in matris aluo clausum sanctificasti , illiq; spiritum sanctum infudisti : qui te præsentem sentiens , (ò noua res) gestiuit , & in gaudio exultauit . Voluisset iam tunc infans istus prorumpere si congruisset , & clamare . Ecce agnus Dei , ecce

Luc. 1. d

104. 1. d



qui tollit peccata mundi . sed hoc ser-  
uabatur in posterum : quando in Ior-  
dane fluuio erat populum baptizatu-  
rus. At illa felix uetula, illa quondam  
sterilis suppleuit : & Spiritu sancto re-  
pleta, ad matrem Virginem conuersa,  
exclamauit uoce magna, & dixit.  
Benedicta tu inter mulieres, & bene-  
dictus fructus uentris tui : & unde  
hoc mihi, ut ueniat mater Domini  
mei ad me? Ecce enim ut facta est uox  
salutationis tuæ in auribus meis, exul-  
tauit in gaudio infans in utero meo :  
& beata quæ credidisti, quoniam per-  
ficientur quæ dicta sunt tibi à Domi-  
no. Tunc Maria mater tua gloriosa  
exultauit in Spiritu sancto, & illud mi-  
rabile canticum decantauit. Magnifi-  
cat anima mea Dominum, & exulta-  
uit Spiritus meus in Deo salutari  
meo. Tunc etiam beatus ille mutus  
Dei spiritu tactus aliud canticum  
mente concepit : quod postea eructa-  
uit, & aperto ore prophetauit dicens.



6

Benedictus Dominus Deus Israel:  
quia uisitauit, & fecit redemptionem  
plebis suæ.

**P**RO natiuitate tua in Bethlehẽm  
ciuitate Dauid. quemadmodum  
per Prophetam prænunciatum  
fuit. Et tu Bethlehẽ Ephratha, paru-  
lus es in millibus Iuda: ex te mihi  
egredietur qui sit dominator in Israel  
et egressus eius ab initio à diebus  
æternitatis. De qua natiuitate diui-  
nus Esaias præcinuit. Paruulus natus  
est nobis, et filius datus est nobis. et  
de qua Angelus pastoribus dixit.  
Ecce euangelizo uobis gaudium ma-  
gnum, quod erit omni populo: quia  
natus est uobis hodie Saluator: qui  
est Christus Dominus in ciuitate Da-  
uid. Tunc ille cælestis Angelorum  
exercitus magno cum iubilo illud glo-  
riæ melos concinuit, clamantes. Glo-  
ria in altissimis Deo, et in terra pax  
hominibus bonæ uoluntatis.

*Mat. 2. 6*

*Mich. 5. 4*

*lxx. 5. 4*

*Ioas. 7. 1*

*Esa. 9. 6*

*lxx. 9. 6*

*Luce. 2. 6*



Luc. 2. c

**P**ro circuncisione tua secundum carnem ut nos circuncideres secundum spiritum : circuncisione quidem non manufacta in expoliatione carnis, ut dicit Apostolus : sed circuncisione spirituali à uitiis, & concupiscentiis.

Colo. 2. b

Luc. 2. c

**C**eterum magnifico te, teq̄, superexalto pro tuo gloriosissimo nomine, quod uocatum est ab angelo priusquàm in utero concipereris. de quo uas electionis, & doctor gentium dicit. In nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum. & de quo princeps Apostolorum Petrus ait.

Phi. 2. b

Act. 4. c

Non est aliud nomen sub cælo datū hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri, nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi. Huic magno & glorioso nomini etiam ipsa dæmonia subiiciuntur: iuxtà Euangelicum illud. Reuersi sunt septuaginta duo cum

10. b



7  
gaudio, dicentes. Domine etiam dæ-  
monia subiiciuntur nobis in nomine  
tuo. De quo nomine te quoque te-  
stem habemus in Euangelio asseren-  
tem. In nomine meo dæmonia eii-  
cient, linguis loquentur nouis, ser-  
pentes tollent, & si mortiferum quid  
biberint, non eis nocebit: super ægros  
manus imponent, & bene habebunt.  
Rursum de hoc magnifico nomine  
sponsa dicit in Canticis. Oleum effu-  
sum nomen tuum. Meritò domine  
Iesu, nomen tuum oleum effusum di-  
citur, hoc est, extrà uas suum fusum,  
totiq; mundo exhibitum: de cuius  
plenitudine nos omnes accepimus.  
Nam sicut oleum omni liquori super-  
natat, sic hoc nomen Iesus super om-  
ne nomen est: nomen utique salutis,  
nomen gratiæ, & pietatis. Oleum  
enim in Scripturis misericordiam &  
charitatem tuam significat ò bone &  
pie Iesu: quæ secundum diuitias gra-  
tiæ tuæ superabundauit in nobis. Hoc

Mar. 16. d

Cant. 1. d

Ioan. 1. b



igitur nomen sanctum inuocetur super me, semperq; impressum, & sculptum sit in corde meo, ac semper dulcescat, resonetq; in ore, & lingua mea.

Rom. 16. c.

Hoc inquam salutiferum nomen conterat Satanam sub pedibus meis ue-

Psal. 53.

lociter. In hoc tuo nomine saluum me fac ò domine & pie Iesu, & in uirtute nominis tui libera me. In nomine

Psal. 17.

Iesu persequar inimicos meos, & comprehendam illos. In nomine Iesu non conuertar, donec deficient.

In nomine Iesu confringam illos, nec poterunt stare. In nomine Iesu cadent subter pedes meos. In nomine

Iesu cuncta disponam. In nomine Iesu dormiam, & requiescam. In nomine Iesu in hoc mundo uiuam. In nomine Iesu ex hoc mūdo recedam.

In nomine Iesu exhalabo spiritum meum. In nomine Iesu transibo in cælum. Sit benedictum hoc nomen

Psal. 112.

Domini gloriosum ex hoc nunc, & usque in seculum.



**I** T E R V Mago tibi gratias pro stel-  
 la duce, quando tu stella iacob, stel-  
 la splendida & matutina mundo il-  
 luxisti. de qua legitur. Orietur stella  
 ex iacob, & exurget homo de israel,  
 & dominabitur gentium. Tunc uiri  
 illi cordati, & sapientes ab Oriente  
 uenerunt Hierosolymam inquiren-  
 tes, & dicentes. Vbi est qui natus est  
 Rex Iudæorum? uidimus enim stel-  
 lam eius in Oriente, & uenimus cum  
 muneribus adorare eum.

Mat. 2. d

Apo. 2. g

Apo. 22. d

Num. 24 c

Ixx. 24 c

**P** R O præsentatione tua in templo.  
 Tunc illa uox Dei patris comple-  
 ta fuit, dicentis. Ecce ego mitto Ange-  
 lum meum, & præparabit uiam ante  
 faciem meam: et statim ueniet ad tem-  
 plum suum dominator, quem uos  
 quæritis: et Angelus testamenti,  
 quem uos uultis. Tunc sponsa Eccle-  
 sia exultauit in spiritu, et iubilans  
 clamauit. Suscepimus Deus miseri-  
 cordiam tuam in medio templi tui.

Luc. 2. d

Mala. 3. d

Ixx. 3. 4. d

Psal. 4



Luc. 2. d.

Tunc etiam beatus ille senex, homo iustus, & timoratus: cui Spiritus sanctus de Christo domino responsum dedit, exclamavit, & dixit. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace: quia uiderunt oculi mei salutare tuum.

Mat. 2. c

**P**raterea benedico tibi pro fuga in Aegyptum: pro septenni exilio, quod ibidem pro nobis sustinisti. pro regressu tuo ex Aegypto in terram Israel. ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam.

Osce. II. a

Ex Aegypto uocaui filium meum. Tunc, ut diuinus scribit Euangelista, secessisti in partes Galilææ, & habitasti in ciuitate, quæ uocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam: quoniam Nazareus uocabitur. Verè Nazareus, hoc est sanctificatus, siue consecratus, uel separatus, aut coronatus dicitur nomen tuum Domine: omnia tibi con-

grua.



grua. sanctificatus scilicet, iuxta illud. Quem pater sanctificauit, & misit in mundum. & illud. Pro eis ego sanctifico me ipsum. Consecratus, quoniam te ipsum Deo patri consecrasti, & in sacrificium obtulisti. Separatus, hoc est a peccatoribus segregatus. Coronatus autem, quoniam tu sertum, & corona Angelorum, es ille sponsus decoratus corona, de quo legitur. In capite eius diademata multa. & illud. Egredimini & uidete filie Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua. Item in scripturis sanctis, in quibus o bone & pie Christe latitas, non solum Nazaræus, sed Nazarenus nuncuparis: qui custos, uel flos, aut floridus, siue uirgultum interpretatur. Custos nanque: de quo Esaias testatur. Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Flos, ut tu flos uirtutum testaris in Canticis. Ego flos campi, & liliu conuallium. & de

*Ioan. 10. g*  
*Ioan. 17. c*

*Heb. 7. d*

*Esa. 61. d*  
*Apo. 19. c*  
*Cant. 3. d*

*Esa. 21. c*

*Cant. 2*



*Esa. 11. a*

*Can. 1. d*

*Esa. 53. a*

quo alibi. Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascēdet. Floridus autem, cui dicitur a sponsa. Lectulus noster floridus. Virgultum uerò: de quo legitur in Esaia. Et ascendet sicut uirgultum coràm eo. nam uirgultum, uirgula, siue ramusculus est pullulans è trunco. sic tu Christe decor mundi, gloria humilium, integritas uirginum, flos de flore, sol de stella, uirgo de uirgine ortus es. Merito itaque & elegantissime Nazaræus, & Nazarenus in sacris literis uocatur Christus; tum ex loci appellatione, hoc est Nazareth; tum quoque ex sacramento legis, & ratione interpretationum, ut affatim supra declaratum est.

*LUC. 2. f*

**V**lterius benedico tibi pro sessione tua in templo in medio Doctorum, stupentium (ut scriptum est) & admirantium super prudentia & responsis tuis. Pro reuersione tua



10

cum beata uirgine matre, & Ioseph in patriam tuam Nazareth.

**P**RO illis quoque decem & octo annis, quibus mundo fuisti incognitus. ut illud Propheticum impleretur. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator. Et hoc quidem non sine mysterio, ut scilicet Sacramentum incarnationis tuæ mundi Principem lateret, suo tempore diuulgandum. Sed quid putandum est hoc tempore Christum egisse? nunquid fuit ociosus? minimè. fugiebat consortia hominum, frequentabat Synagogas, & in Synagogis uiliorem eligens locum, orationi incumberebat. Denique tota eius uita omnium uirtutū speculum fuit, totiusque perfectionis exemplum.

Erat nanque (ut ipse dixit) mitis, & humilis corde: obediens matri, & Ioseph: & (ut scriptura dicit) erat subditus illis.

Esa. 45. c  
lxx. 45. c

Matt. 11. d

Luc. 2. g



*Matt. 3. d*

*Mar. 1. a*

*Luc. 3. e*

**I**TEM tibi ago gratias ò bone pastor, & pie Iesu, pro Baptismate tuo in Iordanis flumine: quando tibi baptizato & oranti cæli aperti sunt. Tunc tota beata Trinitas tibi testimonium perhibuit. Pater in uoce, Verbum in carne, Spiritus sanctus in columba. Sic omnibus in nomine sanctæ Trinitatis in baptismo regeneratis aperiuntur cæli: & per adoptionis gratiam filii Dei effecti euolant ad Deum.

*Mat. 4. a*

*Mar. 1. d*

*Luc. 4. a*

**P**RO quadragenario ieiunio, & tribus tentationibus in Deserto. pro ministerio sanctorum Angelorum: quando fugato tentatore, Angeli accesserunt, & ministrabant tibi. Nec non pro uocatione discipulorum tuorum ad Apostolatam.

*Ioan. 2. a*

**A** Adoro te etiam ò adorande Redemptor, pro initio signorum tuorum: quando cum discipulis



lis tuis inuitatus ad nuptias, aquam uertisti in uinum: ut hoc prodigio te eundem Deum esse ostenderes, qui cuncta creasti ex nihilo. ex nihilo inquam, & sine labore omnia creasti Deus noster, iuxta illud. Qui uiuit in æternum creauit omnia simul. Sed quid est Domine, quòd aquam mutasti in uinum, nisi ut cognoscat mundus, quia tu idem Deus es, qui panem mutas in carnem, & uinum in sanguinem? In hoc signo crediderunt in te discipuli tui. In sacramento autem Eucharistiæ totus mundus firmiter credat, quia tu es Christus uerus filius Dei.

Eccl. 18. a

**P**RO peregrinatione tua, proq; cunctis laboribus, & itineribus tuis, dum fuisti in terris: pro fame & siti: pro frigore & paupertate: pro doctrina & prædicatione tua: pro miraculis & prodigiis tuis: pro illuminatione gentium: pro iustificatione



peccatorum: ac pro septem Sacramentorum tuorum institutione: de quibus legitur. Aperite mihi portas iustitiæ: ingressus in eas confitebor Domino. & iterum in Euangelio.

*Psal. 117.*

*Matt. 7. a*

*Apo. 22. c*

Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas uestras ante porcos. & de quibus rursus. Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, & per portas intrant in ciuitatem.

**I**Nsuper ago tibi gratias Iesu fili Dei uiui, pro illo magno, ac stupendo miraculo: quando tu Rex regum, & dominus dominantium ascendens super asinam, & super pulum filium asinæ, magna populi comitante caterua, intraisti in ciuitatem Hierusalem, turbis illis dicentibus et conclamantibus. Hosanna filio David: benedictus Rex, qui uenit in nomine domini: Pax in cælo, et gloria in excelsis. Tunc in hoc facto ò uerbum Dei patris, in quo sunt

*Apo. 17. d*

*Apo. 19. c*

*1. Tim. 6. c*

*Zac. 9. b*

*Mar. 21. a*

*Mar. 11. a*

*Luc. 19. e*

*Ioan. 12. b*

*Colos. 2. a*



omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ  
 absconditi, magnum mysterium de-  
 litefcere insinuasti: significans per  
 asinam populum Hebræorum: per  
 pullum uerò asinæ lasciuum et indo-  
 mitum, super quem nemo adhuc  
 hominum insedisfe dicitur, popu-  
 lum gentium debere intelligi. hos  
 duos populos in unum glutinasti,  
 ac tuæ fidei iugo subiecisti: quem-  
 admodum tam clarè, tamque luci-  
 de prophetasti. Alias oues habeo,  
 quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet  
 me adducere, & uocem meam au-  
 diēt, & fiet unū ouile, et unus pastor.  
 Tunc tu lapis angularis, qui facis utra-  
 que unum, duos parietes copulasti, &  
 illud Scripturæ oraculum adimplesti.  
 In conueniendo populos in unum,  
 & reges ut seruiant domino.

Mar. 11. 4

Ioan. 10. c

1. Pet. 2. 6

Eph. 2. d

Iob. 38. a

Psal. 101

**P**ro illa quoque celebratissima, &  
 mystica coena cū discipulis tuis:  
 in qua tu uerbum Dei, splendor

Mat. 26. c

Mar. 14. c

Luc. 22. b

Ioan. 13. b



Exo. 12. d Patris, Deus sine primordio, creator  
creaturarum : tu inquam Diuinitas  
incarnata, ut nobis humilitatis exem  
plar tribueres, flexis genibus pedes  
piscatorū abluisti : propterea dixisti.  
Pan. 13. b Exemplum meū dedi uobis, ut quem  
admodum ego feci uobis, ita &  
uos faciatis. Tunc opere perfecisti  
Mat. 20. d quæ ore docuisti : filius hominis non  
uenit ministrari, sed ministrare. & ite  
Luc. 22. c rum. Ego autem in medio uestrum  
sum, sicut qui ministrat.

Mat. 26. d  
Mar. 14. d  
Luc. 22. e **P**RO trina oratione ad Patrem in  
monte Oliueti : pro agonia, et  
tuo sanguineo sudore : quando  
ingruente passionis tempore factus  
est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis  
decurrentis in terram.

Luc. 9. d **Q**uin etiam adoro te ò Pelicane  
piissime, pro tuo illo magno et  
ineffabili excessu, omnem sen  
sum excedente : quem complesti in



Hierusalem: pro acerbissimo siquidem dolore uulnerum tuorum: de quibus tu uir dolorum, et sciens inimitatem iuste conquereris in psalmo. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. et de quibus alibi scribitur. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? et dixisti. His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Quas quidem plagas, et beata uulnera, postquam resurrexisti a mortuis, in fidem uerae resurrectionis alumniis tuis ostendisti, dicens. Videte manus meas, et pedes: quia ego ipse sum. et rursus ad incredulum illum. Infer digitum tuum huc, et uide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.

Esa. 53. a

Psal. 21. d

Zac. 13. c

lxx. 13. c

LUC. 24. f

IOA. 20. g

**P**Roinde laudans benedico tibi pro effusione pretiosissimi sanguinis tui: de quo sanguine in



Scripturis sanctis creberrimè me-  
 moratur; te primùm testante & di-  
 cente. Hic est sanguis meus noui  
 testamenti: qui pro multis effunde-  
 tur in remissionem peccatorum.  
 Verè sanguis tuus Deus noster, est  
 sanguis foederis, quod pepigisti no-  
 biscum: per quem pacificasti siue quæ  
 in terris, hoc est homines: siue quæ  
 in cælis sunt, hoc est Angelos. In  
 hoc sanguine abluti, sanctificati, &  
 iustificati sumus. In hoc sanguine,  
 & non in alio inuenta est generis hu-  
 mani redemptio, & peccatorum re-  
 missio: quia ( ut fidelissimus testatur  
 Paulus ) sine sanguinis effusione non  
 fit remissio. De quo sanguine tam  
 patenter ac perspicuè Propheta uati-  
 cinatus est; dicens. Captabunt in  
 animam iusti, & sanguinem innocen-  
 tem condemnabunt.

**R** V R S V M agimus tibi gratias  
 pie Redemptor, pro tua sacra-



14.

tissima morte; quam pro mundi redemptione non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos: sed ob tuam inextinguibilem charitatem, & ob tuam solam gratiam (ò amor fortior morte) innocentissimè & uoluntariè per tulisti. Qui proposito tibi gaudio, sustinuisti crucem confusione contempta. De qua morte uiri illi sanguinarij, impij, & absque misericordia consiliati sunt, dicentes. Morte turpissima condemnemus eum. & illud. Hic est hæres, uenite occidamus eum. & de qua prædixisti. Ecce ascendimus Hierosolymam: & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte. Tunc in occasu tuo omnia elementa tremuerunt, & uniuersus Orbis ingemuit, & (ut fidelissimi Euangelistæ profitentur) à sexta hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usque ad horam nonam, et obscuratus est sol, Tunc uelum tem

Tit. 3. b

Heb. 12. d

Sap. 2. d

Mat. 21. d

Mat. 20. c

Mar. 10. e

Luc. 18. f

Mat. 27. f

Mar. 15. d

Luc. 23. g



pli scissum est medium in duas partes à summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt. et exeuntes de monumentis uenerunt in sanctam ciuitatem, et apparuerunt multis. Tunc Centurio, qui ex aduerso stabat, et qui cum eo erant, uiso terræ motu, et his, quæ fiebant, timuerunt ualde, dicentes. Verè filius Dei erat iste.

**G**Lorifico te etiam pro tuo sancto, ac celeberrimo sepulcro: de quo legitur in Prophetis.

Et erit sepulcrum eius gloriosum. Hic Ionam considero in uentre piscis inclusum: mirans figuram, stupens, & adorans figuratum: quemadmodum tu summa Sapientia Dei patris utrumque reuelasti, cum dixisti.

Sicut fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit fi

*Esa. II. c*

*lxx. II. c*

*Matt. 12. c*

*Ionæ. 2. a*



lius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

**P**osthæc magnifico te pro tua Resurrectione ab inferis: quando ab olito peccato, et spoliato inferno (ut uates ille prædixit) In sanguine testamenti tui emisisti uinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Tunc illa tua grauia et ponderosa uerba perfecisti: quæ priusquam in hunc mundum secundum carnem uenires, in psalmis dixisti. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultauit lingua mea; insuper et caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Prænuntians in his pauculis uerbis mortem tuam, sepulturamque, descensum in infernum, et resurrectionem à mortuis. Tunc mortem funditus occidisti, iuxta illud. Ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne,

Mat. 28. a

Mar. 16. b

Luc. 24. a

Ioan. 20. a

Psal. 56.

Psal. 107.

Zac. 9. c

lxx. 9. c

Psal. 15.

Osc. 13.



1. Cor. 15. g Tunc morti insultasti, & dixisti. Vbi est mors uictoria tua? ubi est mors stimulus tuus?

Eph. 4. b  
Mat. 28. d  
Mar. 16. d  
Luc. 24. g  
Act. 1. b

**P**RO Ascensione tua super omnes cælos, ut adimpleres omnia: quādo tu uictor mortis cum tam sanguinolenta uictoria ex hoc mundo migrasti ad patrem. De qua ascensione Psalmographus prænuntiauit. Ascendit Deus in iubilo: & dominus in uoce tubæ. & rursus. Regna terræ cantate Deo: psallite domino: psallite deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem. Tunc tu Pontifex futurorum bonorum, non per sanguinem hircorum, aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introisti semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.

Psal. 46.  
Psal. 67.

Heb. 9. c

Eph. 4. b  
Psal. 67.

**P**RO Spiritus sancti paracleti missione: quando ascendens in altum, captiuamque ducens ca-



ptiuuitatem , dedisti dona homini-  
 bus. Tunc promissum Patris tui ad  
 nos misisti : sicut antea sponondi-  
 sti, dicens . Nisi ego abiero , Pa-  
 racleus non ueniet ad uos: si au-  
 tem abiero mittam eum ad uos .  
 Tunc Spiritus sanctus repleuit Or-  
 bem terrarum , & hoc quod conti-  
 net omnia , scientiam habuit uo-  
 cis . Tunc perfectum etiam fuit il-  
 lud Iohelis uaticinium , dicentis .  
 In nouissimis diebus dicit Domi-  
 nus , effundam de spiritu meo su-  
 per omnem carnem ; & propheta-  
 bunt filii uestri , & filia uestra .  
 quando diuini illi Apostoli indu-  
 ti uirtute ex alto , variis linguis al-  
 tissima Dei magnalia loqueban-  
 tur .

Luc. 24. 9

Ioan. 14.

Sap. 1. 6

Iohe. 2. 2

Luc. 24. 9

Psal. 70. 9

**P**Rætereà gratias tibi ingentes per-  
 soluo , ò mundi propitiator,  
 pro Sacramento poenitentia: quod  
 tunc instituisti , quando tu clauis

Apoc. 3. 6



Matt. 16. c

Matt. 18. c

Ioan. 20. f

1. Tim. 2. a

Eze. 18. e

Eze. 33. c

David, clauēs Regni cælorum Eccle-  
siæ tradidisti, dicens Petro. Tibi da-  
bo clauēs regni cælorum; et quod-  
cunque ligaueris super terram, erit  
ligatum et in cælis; et quodcunque  
solueris super terram, erit solutum  
et in cælis. De qua potestate iterum  
dixisti. Amen dico uobis, quæcun-  
que alligaueritis super terram, erunt  
ligata et in cælo: et quæcunque sol-  
ueritis super terram, erunt soluta et  
in cælo. Et de qua profecturus ad Pa-  
trem rursus dixisti. Accipite Spiri-  
tum sanctum, quorum remiseritis pec-  
cata, remittuntur eis, et quorum re-  
tinueritis, retenta sunt. O infinita  
et incomprehensibilis gratia Dei,  
qui etiam hominibus potestatem tri-  
buit dimittendi peccata & qui ne-  
minem uult perire, sed omnes ho-  
mines saluos fieri. O certe necessa-  
rium poenitentiae sacramentum om-  
ni acceptione, & omni laude di-  
gnissimum: quo remittuntur pecca-  
ta,



ta, & reconciliamur Deo. Hoc sacramentum à Doctoribus Orthodoxis, & Catholicis Patribus congrue secunda tabula post naufragium nuncupatur: quod etiam gratia pro gratia recte dici potest. Prima gratia Baptismus est: ubi deponitur homo uetus, & induitur nouus: secunda gratia est sacramentum Confessionis: quoniam & si fragilis homo post Baptismum labitur ad peccata; in hoc tamen sacramento omnia peccata diluuntur.

**H**onorifico te etiam pro regimine, & gubernatione Ecclesiæ, dilectissimæ sponsæ tuæ, quam tuo acquisisti sanguine. Quoniam, & si tu sponse noster à nobis corporaliter recessisti, nobiscum tamen remansisti: quemadmodum pollicitus es, dicens. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Verè Saluator noster nobiscum remansisti omnibus

Act. 20. f

Mat. 28



diebus usque ad consummationem  
seculi. nam licet corporali specie ex  
hoc mundo ad Patrem remeaueris,  
pignus tamen Sacramenti Eucharis-  
tiae nobis reliquisti. Tunc enim tan-  
quam sponsus anulum amoris spon-  
sae tuae tribuisti: ac si diceres. Re-  
cedens à te, non te relinquam or-  
phanam: sume hunc pro me arrha-  
bonem, negotiareque in eo, dum  
rediero. Tunc non sacramentaliter,  
nec accidentibus uelatum, aut per  
speculum in ænigmate; sed reuelata  
facie, atque oculo ad oculum meam  
claritatem contemplaberis; meque  
cum Patre meo, & Spiritu sancto il-  
lo intuitu perfrueris, quo me Ange-  
li fruuntur in cælis.

1. Cor. 13. d

2. Cor. 3. d

Esa. 52. c

**P**Roinde adorans magnifico te,  
summisque efferò præconiis ò ra-  
dix Iesse, ò genus Dauid, pro li-  
bro illo sigillis septem signato, intus  
& foris scripto: foris iuxtà sensum

ps. 22. c

Esa. 11. c

ps. 5. c



literalem, intus iuxta allegoriam,  
& intelligentiam spiritualem: quem  
per Spiritum sanctum caeco & tene-  
broso mundo tribuisti: ut uidelicet  
per patientiam, & consolationem  
Scripturarum spem haberemus.

Rom. 15.4

Hunc librum signatum, intus & fo-  
ris scriptum tu liber uitæ nobis a-  
peruisti, & sanctarum Scriptura-  
rum ænigmata reserasti: quem e-  
tiam librum te ipsum esse intelli-  
mus: qui rectè intus & foris scrip-  
tus diceris: quia Deus es, & ho-  
mo: Verbum & caro: secretus &  
publicus: apertus & opertus: in  
ueteri lege clausus, & figuris uela-  
tus: in noua uerò manifeste reue-  
latus. Vel propterea hic liber in-  
tus & foris scriptus dicitur, quo-  
niam Christus superbis incognitus  
est, & notus humilibus: unde di-  
xisti. Confiteor tibi Pater Domine  
Cæli, & terræ: quia abscondisti hæc  
a sapientibus, & prudentibus, &

Mat. 11



**Apo. 5. 4**

**Apo. 3. 6**

**Iob. 12.**

**Esa. 22. f**

reuelasti ea paruulis. Ceterum hunc librum qui possit aperire, sed nec respicere nemo inuentus est: neque in cælo, ut Angelus: neque in terra, ut homo: neque subter terram, ut spiritus; nisi tu leo de tribu Iuda, radix David: qui aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit. Cunctis creaturis liber iste inscrutabilis, & tibi soli comprehensibilis.

ET

**Mat. 25. c**

**Luc. 21. f**

**Eccl. 12. d**

**Apoc. 1. b**

**Iob. 19. d**

**Gal. 61.**

**1. Cor. 3. b**

**Gal. 6. b**

**I**NSUPER agimus tibi gratias pro tuo aduentu in die nouissimo: quando cum potestate magna, & maiestate, & gloria uenies ad iudicandum. Tunc (sicut dicit Scriptura) cuncta quæ facta fuerint, adduces in iudicium pro omni errato, siue bona, siue mala sint. Tunc uidebit te omnis oculus, & qui te pupugerunt. Tunc inquam in carne nostra uidebimus te Deum nostrum, unicuique reddentem iuxta opera sua, ius



stis præmium, reprobis supplicium.  
 Et quis poterit cogitare diem aduen-  
 tus tui? & quis stabit ad uidendum  
 te Deus noster? à cuius conspectu fu-  
 git terra & cælum: quem omnes pa-  
 uent ac tremunt à uultu uirtutis tuæ.

Mala. 3. a

lxx. 3. a

Apo. 20. c

Ex oratiõe

Manasses.

**D** E M V M perennes tibi refero  
 gratias Domine Deus noster,  
 propter illam inaccessibleem,  
 quam inhabitas lucem, ac propter  
 ingentia & inæstimabilia præmia,  
 quæ tuis electis præparare dignatus  
 es: de quibus scriptum est. Ocu-  
 lus non uidit, nec auris audiuit,  
 nec in cor hominis ascenderunt quæ  
 præparauit Deus iis, qui diligunt il-  
 lum. Diligam ergo te Domine Deus  
 meus, ex toto corde meo, & ex to-  
 ta anima mea, & ex tota uirtute,  
 & ex toto intellectu: qui es super  
 omnia, & plusquam omnia diligen-  
 dus, colendus, & adorandus: quem  
 que omnes Angeli, & sancti tui lau-

1. Tim. 6. c

1. Cor. 2. b

Esa. 64. b

lxx. 64. b

Mat. 22. d

Mar. 12. e

Luc. 10. e

Deut. 8.



dant, colunt, & adorant ut trinum  
& unum Deum omnipotentem.

Cum quibus et ego miser hominum,  
cilio, et nudus uermiculus laudo  
colo, & adoro te Deum plasmato-

rem meum, & redemptorem me-

um. Nam non eram, & creasti me,  
& omnia propter me: me autem

propter te, ad imaginem, et simi-

litudinem tuam: ad te cognoscen-

dum, ad te amandum, & ad te fi-

ne fine fruendum. Timebo te etiam

Deus meus timore non illo, qui poe-

nam habet, quem perfecta charitas  
foras mittit: sed illo timore casto,  
de quo canitur in psalmis: Timor  
Domini sanctus permanens in se-

culum seculi. Et (ut uniuersam le-  
gem impleam & Prophetas) meum  
quoque proximum, & amicum et  
inimicum ob tui amorem diligam:  
iubente diuina Scriptura. Diliges  
proximum tuum, sicut te ipsum

Gen. 1. d

1. Ioan. 4. d

Psal. 18.

1. 22. d

12. c



Creaturas uerò tuas omnes in te,  
 et propter te diligam : quia per eas  
 te omnium creatorem intelligimus,  
 & fatemur : teste Apostolo . Inuisi-  
 bilia Dei à creatura mundi, per ea,  
 quæ facta sunt, intellecta conspiciun-  
 tur : sempiterna quoque eius uirtus,  
 & diuinitas .

Luc. 10. e

Leui. 19. d

Rom. 1. e

### Peroratio & conclusio

operis .

**P**OSTREMO postquam sic il-  
 luminasti me, tuisque immen-  
 sis muneribus (ò diues in mise-  
 ricordia) locupletasti me, laudans  
 laudabo te assidue pro cunctis aliis  
 multis beneficiis, et gratiis tuis in-  
 enarrabilibus, præteritis, præsentibus,  
 et futuris. Quapropter rogo te,  
 et exoro te Rex meus, et misericors  
 Redemptor propter illud tui bea-

Ephē. 2. 4



ti corporis cruentum ; ac singulare  
sacrificium , et saginatum holocau-  
stum , in ara crucis oblatum , ac pro-  
pter ignes omnium tribulationum ,  
& pœnarum tuarum , quas tanto cum  
gaudio , & ardentissimo amore per-  
pessus es , miserere mei benignissi-  
me Deus meus , nunc , & semper ,  
& in hora obitus mei : mihiq̄ue om-  
nium delictorum meorum indulgen-  
tiam largire : quia tu solus es propi-  
tiator & propitiatio pro peccatis me-  
is : non pro meis autem tantum , sed  
etiam pro peccatis totius mundi .  
Et libera me à me , et ab hoste mali-  
gno , atque ab hoc præsentī seculo  
nequam , et mendacissimo , ab hoc  
inquam seculo laqueis Satanæ , et in-  
finitis periculis pleno , Deiq̄ue , san-  
ctorumq̄ue omnium inimico : stul-  
torum autem , et imprudentium ho-  
minum amico caduco , infideli , et  
fugitiuo . Qui cum æterno Patre tuo ,

1. Ioh. 2. 1

Gal. 1. 4



et æterno Spiritu sancto uiuis, et regnas æternus Deus ab æterno, et usq; in æternum. Amen.

Gloria patri ingenito: Gloria unigenito: Gloria sancto Flamini: Trino unique Deo: in seculorum secula.

Danti mihi gratiam, Do gloriam: & æternas gratias ago.

**F I N I S.**



**Io. Baptista Arcucius ad Lectorem.**

*Paruulus hic liber est dices : at maxima paruis  
Nonnunquam rebus gloria inesse solet.*

*Sic etiam quamuis Adamas sit corpore paruis  
Plus tamen est gemmis omnibus in pretio.*

**Franciscus Chryfarius.**

*Est paruis melior quam magnis unio conchis :  
Dives Erythraeis quas legit Indus aquis.  
Grandibus excellit sic uerax, atque pusillus  
Hic liber ; hoc fundant hoc pia labra melos.*

**Idem.**

*Paruulus hic liber est, at si mysteria pendas ;  
In toto dices grandius orbe nihil.*







